Petrus <Lombardus>; Henricus <de Gorichem> [Comm.]: Sententiarum libri IV (cum conclusionibus Henrici de Gorichem et problematibus S. Thomae articulisque Parisiensibus)

[Freiburg i. Br.: Kilian Fischer], [ca. 1492] Seite 144



rant· ꝑ id tñ qđ eis collatū erat in creatione poterant non cadere·i·stare: quia nihil erat qđ ad casum eos cōpelleret· sed sua spontanea voluntate declinauerunt· qđ si nō fecissent· qđ datum est alijs vtiq; daret ꝛ istis·

¶ Q angeli in ipsa confirmatione beati fuerunt· sed vtrum eam meruerunt ꝑ gratiā tunc sibi datam ambiguum est· de hoc enī diuersi diuersa sentiunt·

# Hic queri solꝫ vtrū

in ipsa ꝯfirmatiōe beati fuerint angeli· et an ipsam beatitudinē aliquo modo meruerint Q in ipsa ꝯfirmatione beati fuerūt: plures ꝯtestant autoritates· ꝛ ideo ꝓ constanti habendum est· Utrum vero ꝑ grām tunc sibi datam ipsam beatitudinem meruerunt ambiguum est· Quibusdam enī placet q̄ eam meruerunt ꝑ grām quā in ꝯfirmatione ꝑceperunt· simulq; in eis meritum ꝛ p̄mium fuisse dicunt· nec meritum p̄cessisse p̄miū tp̄e sed causa· Alijs aūt videt q̄ beatitudinem quā receperunt in ꝯfirmatione ꝑ grām tunc appositam nō meruerunt dicētes tunc nō fuisse eis collatā grām ad merendū sed ad beate viuendum· nec tunc eis datum esse bonū quo mererent· sed quo feliciter fruerentur Q aūt tunc in premium acceperunt ꝑ obsequia nobis exhibita· ex dei obedientia ꝛ reuerentia mereri dicunt· ꝛ ita p̄mium p̄cessit merita· ꝛ hoc mihi magis placere fateor·

Ista est distinctio· v· huius secundi libri· In qua magister postq̄ egit de angelorum cōmuni creatione. incipit modo agere de eoꝝ conuersione ꝛ auersione. Et tria facit. Nam primo agit de modo cōuersionis ꝛ auersionis. Secūdo de gratia suꝑaddita ad actum conuersionis. Tertio de vsu gratie. ſ. de merito ꝯfirmationis. Primum facit a principio distinctionis vsq; ibi. Si autē queritur. Secundum ab inde vsq; ibi. Hic queri solet. Tertium ab inde vsq; ad finem distinctionis. Et tm̄ in generali. In speciali sententia magistri stat in tribus ꝓpositionib⁹. quarum prima est hec. Sicut aliqui angeli ꝑ superbiam auersionem effecti sunt mali ꝛ excecati. ita alij ꝑ charitatiuam ꝯuersionem facti sunt boni ꝛ illuminati. Hanc ꝓpositionem magister ꝓbans dicit q̄ quidam angelorum post eoꝝ creationem ad deum conuersi ꝛ sibi per charitatem adherentes illuminati sunt per gratiam. Alij vero auersi ꝛ deum odio habentes excecati fuerunt. nō quidem ex malicie immissione sed grē subtractione. que quidem cōuersio iustos fecit ꝛ auersio iniustos. Et subdit q̄ tam causa conuersionis q̄ auersionis fuit libertas arbitrij ꝑ quam quidam ipsoꝝ bonum alij vero malū elegerūt. Secunda ꝓpositio est hec. Q boni angeli sua ꝯuersione grām nō oꝑantē sed cooperantē meruerunt. Hanc mgr̄ ꝓbans querit Utrum angelis bonis ad hoc vt ꝯuerterent apposita fuit gratia. Et rn̄det q̄ eis fuit apposita gratia cooperans. sed nō operans. qꝛ gratia oꝑante que est idem q̄ iustificatio impij nō indigebant eo q̄ mali nō erāt. Sed indiguerunt grā cooꝑante seu ꝓmouente eos ad conuertendum se ad deū. ꝛ hec gratia iuuat ad bonum ꝑficienduꝫ. Et subinfert q̄ q̄uis ipsa gratia cooperans in potestate cadentium angelorum nō fuit. tm̄ imputat ipsis ad culpam. qꝛ ipsam nō recipientes auersi sunt. eo q̄ ipsam habere poterāt ꝛ apposita eis fuisset si ꝑstitissent. Tertia ꝓpositio est hec. Angeli ꝑ cooperantem grām eis in ꝯuersione appositam nō antecedenter sed ꝯsequēter. beatitudinē meruerunt. Hanc magister ꝓbans querit. Utrum angeli boni in ipsa sua ꝯfirmatione beati fuerunt. ꝛ vtrum in ipsa eorum ꝯuersione beatitudinē meruerunt. Primū istoꝝ quesitorum magister simpliciter cōcedit. Et circa secundum recitat opīones dicens. quosdam dicere angelos suam beatitudinē in ipsa eorum cōuersione ad deum meruisse. ita q̄ merituꝫ ꝛ p̄mium simul ꝛ semel in eis fuerunt. Alios aūt dicit opinantes fuisse q̄ beatitudinem quā in ipsaꝝ conuersione acceperūt ꝑ obsequia que hominibus p̄stiterunt ꝛ p̄stant. meruerūt ꝛ merent. ita q̄ p̄mium nō precessit meritū. Et istam opinionem videt mgr̄ fouere. Et tm̄ in speciali.

¶ Q de maioribus ꝛ minoribus quidā ceciderūt· inter quos vnus fuit celsior· scilicet lucifer·

# Preterea sciri

DI· VII

oportet· qm̄ sicut de maioribus ꝛ de minorib⁹ quidam p̄stiterūt ita de vtroq; gradu q̄dam corruerunt· Inter quos vn⁹ fuit oībus alijs cadentibus excellentior· nec inter stantes aliquis eo fuit dignior sicut testimonijs autoritatum monstrat· Ait enī Job· Ipse p̄ncipiū viaꝝ dei· Et in Ezechiele legit· Tu signaculum similitudinis plenus sciā ꝛ ꝑfectione decorus in delitijs paradisi dei fuisti· Qđ Gregorius exponens ait· Quāto in eo subtilior est natura· eo magis in illo imago dei simili⁹ insinuat impressa· Item in Ezechiele legit· Omnis lapis preciosus operimentū eius· i· omnis angelus quasi operimentū ei⁹ erat· quia vt dicit Grego· in alioꝝ comꝑatione ceteris clarior fuit· vn̄ vocatus est lucifer· sicut testat Esa· Quomodo inquit cecidisti lucifer qui mane oriebaris ꝛc· qui nō vn⁹ ordo ſ; vnus spiritus accipiēdus est· qui teste Isido· postq̄ creatus est eminentiā nature ꝛ ꝓfunditatem scientie sue ꝑpendens in suum creatorem suꝑbiuit in tantū q̄ etiam deo se equare voluit· vt in Esaia dicit· In celum ascendam super astra celi· ꝛ exaltabo solium meū et ero similis altissimo· Similis quidem deo esse voluit nō ꝑ imitationem· sed ꝑ equalitatem potentie·

Job·
Ezechie[l]

¶ Unde et quo deiectus fuerit merito sue superbie·

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-333/0144
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG